



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. An saltationes probet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

non restat, sed merito relinquuntur. Impiam igitur morositatem taxat, cui omne Dei consilium omnis ratio docendi displicet. Ribera noster in Ose. 14. n. 25. Huc adfert illa verba Prophetæ, *Quis sapiens & intelligit ista? intelligens & sciet hæc? quia recta via Domini & iusti ambulant in eis. prauaricatores vero corrumpunt in eis.*

QVÆSTIO II.

An saltationes probet?

§. 1. **S**altationes sunt duplices, quædam piæ & sanctæ ad indicand. in Domino lætitiâ. Quales erat, Dauidis 2. Reg. 6. forsan & Mariæ Exod. 15. & I. 1. Regum 18. ubi nulla lasciuiâ, nulla ad eam irritatio.

Aliæ impiæ & lasciuæ, detestabiles, cum viti cum fœminis fracto corporum motu libidinosisque cantionibus choreas ducunt: quas Ecclesia Dei Spiritu damnauit.

VERSVS 18.

Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens: & dicunt, demonium habet.

QVÆSTIO I.

Cur demonium habere dicant?

§. 1. **S**yrus vertit: *demonium est illi.* Atque hoc eos dixisse puto, non obsessum quidem à demone, à quo vexaretur, more aliorum energumenum, sed habere spiritum *malum*, à quo occulte sustentaretur. Quædam exemplaria apud Erasmus habent *ὁτι πνεῦμα ἐστίν*, quia spiritus est; Quidam à demone obsessi, vel nullis cibis, vel obscenis vescuntur: hinc originem calumniæ Pharisei traxerunt. Hæc de re multa & curiosa exempla inedia portentoſa passim narrari solent.

§. 2. Apparet quam oporteat serio & constantè seruum Dei famam tueri, id enim ad gloriam Dei & animarum salutem perquam vile est. Denique quantum illi vero aberrant, qui communi & vulgari cibo vsum Ioannem imaginantur, quos contra c. 3. dixi putavi, nisi enim admiranda ieiunij seueritas fuisset, nequaquam demonum auxilio homines improbi id tribuissent.

§. 3. D. August. lib. 17. c. 31. contra Faustum Manichæum ostendit, cibos quosdam non esse immundos, ideoque contaminare homines, nec ideo ieiunare nos, quod eos immundos ducamus. Verba eius sunt. *Dicis enim & tu Christum sic docuisse ciborum indifferentiâ, ut à suis quidem discipulis omnes carnes penitus remoueret: secularibus vero vulgo concederet omnia, quæ possent edi atque assueret quod eos nihil in os intrans pollueret, quia quæ de ore impudenter procedunt, ea sola sunt, quæ polluant hominem. Hæc verba tua sunt, tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio de prompta, & expressa. Primo quia secundum Christi sententiam si ea sola polluant hominem, quæ mala ex ore procedunt, Cur & discipulos Christi non ea sola polluerunt, ut eos tanquam ab immundo carnis esset necesse prohiberi? An seculares homines non polluantur, his quæ in os intrant, sed his quæ ex ore exeunt? Ergo munitiores sunt aduersus immunditiam, quam sancti, si sanctos & ea quæ intrant, & ea quæ exeunt possunt inquinare. Vellem autem isti mihi dicerent, quid manducabat & bibebat Christus, qui in comparatione Ioannis non manducantis neque bibentis, sed dixit manducantem & bibentem, cum enim argueret peruersitatem hominum vobis, calumnias inquirentum, Venit, inquit, Ioannes non*

manducans, neque bibens, & dicunt, demonium habet: venit filius hominum, manducans & bibens, & dicunt &c.

VERSVS 19.

Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis.

QVÆSTIO I.

Cur Christo calumniam impegnerunt?

§. 1. **C**onuivia non modò Phariseorum, sed etiam Christianorum adibat, hoc contra legem esse, aut ignotare se simularent cupiditate vini, & cupediæ, cum velut transgressorem legis iudicabant. Magna enim ratio videtur, cur adit potentiorum limina, interestque epulis, nisi quia vorax est & potator: quasi vero nullam ob causam aliam, nisi ventris ingluuiem vel institui vel inihi conuiuia possint. Tanto autem indignior erat calumnia, quanto Christi innocentia conspectior, ut qui nullo vnquam loco leges temperantiæ transierit. *φάγν* vocant, voracem edacem. Erasmus comedonem appellat, quod infame & verbum est, non modo dedecore voracitatis, sed etiam prodigalitatis, ita eum veteres appellabant, qui bona sua comesset, ut loquuntur. *φάγν* autem, qui immodice cibis vteretur. Vnde & *φάγν* appellant morbum cum insatiabiliter esca appeteret. Erant apud Athenienses festa, quæ *φάγν* dicebantur, voracitatis certamine quodam infamia. Eulmodi igitur conuiuia Christum describebant. Syrum vocabulum hoc loco infame non est *ἔχθρα* Echthra, edens, sed in malam partem Pharisei accipiunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo iustificata sapientia à filiis suis?

§. 1. **S**yrus habet, *à seruis suis*, sed eodem recidit, iudicat enim sapientiam à cultoribus suis esse iustificatam; quis vero sensus sit admodum anceps fecerunt interpretationes auctorum. Prima interpretatio: Sapientia est Christus, Dei filius. Secunda; Sapientia est diuina prouidentia. Tertia sapientia est astutia mundana. Atque hæc de sapientia veritatis. Qui filij sapientiæ, etiam controuertunt.

Primo filios aiunt Christum & Ioannem. Secundo; Iudæos contumaces & incredulos. Tertio Iudæos conuersos & fideles. Quarto filios generationis istius.

Iustificationem sapientiæ sic interpretantur. Iustificata, id est, laudata, à calumnijs purgata, cognita. Ex his *ὁ λογισμὸς* & combinationes multiplices oriuntur, totidemque sensus.

Sensus Primus. Sapientia Dei, Christus Iesus, ab eodem Christo Iesu & Ioanne laudata, defensa, cognita est. Ut inexcusabilis sit, si quis agnoscere nolit, nefarius, si quis calumniatur.

Sensus Secundus. Diuina prouidentia in salutem Iudæorum ab omni accusatione libera est, à me & Ioanne filijs sapientiæ, ut qui penitentiam & abstinentiam, & deinde humanitatis exempla dedimus, ut qui la-